

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

## COMMENTARIUM OFFICIALE

*Directio:* Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

# ACTA FRANCISCI PP.

## LITTERAE DECRETALES

**Quibus beato Lazaro Devasahayam Sanctorum honores decernuntur.**

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius, quod faciant» (*Lc 12, 4*).

Haec Domini verba penitus expertus est beatus Lazarus Devasahayam, qui numquam metuit suam testari fidem coram tortoribus. Die XXIII mensis Aprilis anno MDCCXII parvo in pago Nattalam, in regno Travancorensi Indiae meridiana, e singulari familia Induistarum ortus est. Vocabatur Nilam aut etiam Nilakandan. Privatim institutionem recepit atque altum parationis culturalis gradum est consecutus. Viri sui ipsius ordinis sodales militia fungebantur pro rege atque iuvenis Nilakandan exercebatur Martiis in artibus, dum studia excolebat et alios quoque sermones discebat. Apud regem incepta militia, mentis et magni ingenii sui gratia, altus officialis regius mox nominatus est, deinde legatus atque castrensis apud regium aerarium administrator. Antiquorum morum Induismi studiosus, Nilakandan pietatem in deos ac religionem fideliter colebat. Anno MDCCXLI Neerlandiense exercitus auctoritatem expetebat in litora Regni Travancorensis, apud Malabariam, sic id oppugnavit. Diu pugnatum est, denique copiae irrumpentes profligatae sunt. Multi milites Neerlandienses, inter quos centurio quidam

catholicus Eustachius De Lannoy, capti sunt. Qui regni sui fines propagare cupiebat, Travancorensis rex, sciens centurionem exercitus Neerlandiensis De Lannoy virum rei militaris peritum esse, eum conscripsit, deinde eum ducem nominavit. Beatus Nilakandan familiarissimus viri De Lannoy factus est. Paulatim idem Beatus christiana religione sic raptus est ut ardentem expressit cupiditatem Christum exsequi atque christianus fieri. Marthandavarma rex conversionibus ad Christianam fidem adversabatur, praesertim quibus maiorum erant ordinum. Vir De Lannoy, subtiliter damna cognoscens Evangelio adhaerentibus, multum cunctatus est amicum comitari, christianam fidem amplecti cupientem. Illo depetente, tamen, vir De Lannoy eum misit ad patrem Ioannem Baptistam Buttari, missionarium Iesuitam, extra fines regni Travancorensis, ad regis invidiam vitandam. Idem pater Buttari die XIV mensis Maii anno MDCCXLV Nilakandan baptizavit, novum ei addicens nomen Devasahayam, biblico congruens Lazaro, cuius interpretatio est: Deus adiuvit. Post baptismum, Beatus magnam coepit evangelizationis operam ut in Iesum Christum promoveret fidem. Etiam uxor eius Barga-viyamma sacramentum baptismi accepit, novo cum nomine Gnanappoo, id est Teresia. Eius conversio ut proditio habita est atque periculum erga civitatis firmitatem. Brachmanae fictis criminibus Devasahayam apud regem accusaverunt. Eius prima detrectatio ne deos regni praesides Induistarum adoraret neque sollemnia participaret officiales admodum exasperavit, qui minime eius praedicationem toleraverunt de aequalitate inter populos, de ordinibus superandis deque amicitia erga inattingibiles ad humiliores ordines pertinentes, quod interdictum erat personae in superiore ordine versanti. Postremo, eum accusaverunt quod christianos etiam adiuveret maximeque patrem Buttari suppeditationibus lignorum regionum ad novam ecclesiam in oppido Vadakkankulam aedificandam. Officialibus palatinis instantibus, rex comprehendi iussit beatum Devasahayam, qui die XXIII mensis Februarii anno MDCCXLIX in carcerem est coniectus. Ab eo rex postulavit ut suam novam deponeret fidem atque Induistarum ordinum observaret mores, aliter puniretur. A rege frustra omnes conatus sunt capti et beatus Devasahayam firmam tenuit novam fidem suam, Iesum Christum relinquere recusans. Postquam saepius ac nequicquam conatus est fidem christianam ab eo desertam esse, rex eum diu tormentis cruciare iussit coram omnibus, ut documento fieret quibus se ad fidem catholicam convertere cogitabant. Et alii multi christiani, exemplum beati Devasahayam sequentes, in eadem

sententia perstiterunt: regnum reliquerunt alii, pauci fuerunt qui fidem suam deseruerunt. Ministri imperii atque milites seriem egerunt saevarum rationum ad eum cruciandum. Constanter fustibus spinisque vapulatus est. Dolores ac labores ut auferrentur, super vulnera eius pulverem capsici imposuerunt. Eum coegerunt ut inter noxia insecta staret atque sub fervido sole multis millibus passuum incederet, manibus pedibusque catenis vinctis. Apud quoddam saxulum in *Puliyoorurichy* multum sitiēbat, sed milites etiam aquae lacrimam ita ei denegaverunt bibendam ut posito procubuit genu super petram et precatus est: quae a petra emicuit, sitim eius valuit aqua explere. Auctoritates amplius labores eius auxerunt atque eum tulerunt ad locum *Peruvilai* appellatum ibique illum tortoribus tradiderunt, qui apte eum ad arborem revinxerunt, considerare vel sternere ei impediētes. In aperto, sub ardentissimo sole, imbre vel vento, septem per menses fame laboravit, gaudenti animo adflictiones accipiens, omnia ad Dei gloriam offerens. Licet tantis in suppliciis, eius in Iesum fides numquam est excussa. Magna turba accedebat ad eum cotidie, ut eius acciperet benedictiones atque precatōnes. Benigni erga eum coeperunt esse milites ita ut ei fugam e vinculis suaderent. Rex, ideo, et regii officiales, rebus novis acceptis, se senserunt victos ut ille fidem abiuraret. Ad vitandum ne maior turba ad fidem christianam se reciperet, ipsi iusserunt ut ille in carcerem secretum deferretur, in orientali regni confinio. Illic etiam ita crebra fuerunt cruciamenta ut diem ex die valetudo eius ingravesceret. Postremo martyrii periculum quoque extremum pervenit, quod ille iamdudum exspectabat. Die XIV mensis Ianuarii anno MDCCLII officiales iussi sunt a rege ut tacite eum interficerent. Ante mediam noctem a somno beatus Devasahayam excitatus est, qui, cum deambulare non posset, eum exceperunt et ad clivulum contulerunt, in silva Aralvaimozhy. Moram temporis petivit ad supremum precandum, flexis genibus supra saxum Domino se dimittens. Postremum autem a militibus ut iussum efficerent petivit. Pluries percussus est, cadens et clamitans: «Iesu, salva me!». Quinque post diebus, christifideles qui prope incolebant, cum supplicium sciscerent, eius collegerunt exuvias easque sepeliverunt in ecclesia Sancti Francisci Xavier in oppido Kottarensi.

Fama martyrii perdurante, quae copiose est diffusa in India, eius Causa beatificationis incepta est. Inquisitio dioecesana super martyrio acta est ab anno MMVI ad annum MMVIII apud Curiam Kottarensē. Consultores Historici, die XV mensis Novembris anno MMXI favorabile votum protulerunt.

Consultores deinde Theologi, in Peculiari Congressu diei VII mensis Februarii anno MMXII, historicam documentorum collectorum fidem agnoverunt, a quibus et persecutorum odium fidei et Servi Dei acceptionem agnoverunt. Die VIII mensis Maii anno MMXII Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione mortem eius verum fuisse martyrium censuerunt. Benedictus XVI Decessor Noster die XXVIII mensis Iunii anno MMXII facultatem dedit ut Decretum super martyrio promulgaretur atque sequenti die II mensis Decembris Kottarensis dioecesis in urbe Nagercoil Beatificationis ritus peractus est frequentissimis christifidelibus intervenientibus. Quoad canonizationem, in dioecesi Kottarensi anno MMXV Inquisitio dioecesana de suspicatio sanationis Beati intercessione miraculo acta est, videlicet redanimationis fetus XXIV praegnationis hebdomadam maturantis cuiusdam Indicae mulieris. Die XXVIII mensis Februarii anno MMXIX Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum omnium consensu sanationem ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Die V mensis Decembris anno MMXIX Consultores Theologi, in Congressu Peculiari congregati, intercessioni Beati sanationem tribuerunt atque Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria in Sessione diei XVIII mensis Februarii anno MMXX adunati, eam verum esse miraculum censuerunt. Nosmet Ipsi concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum decretum super miraculo die XXI mensis Februarii anno MMXX promulgaret. Sollemni in Consistorio diei III mensis Maii anno MMXXI decrevimus, proinde, ut eius Canonizationis ritus haberetur atque statuimus ut idem die XV mensis Maii anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur Romae in foro Petriano inter Missarum sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Titum Brandsma, Lazarum dictum Devasahayam, Caesarem de Bus, Aloisium Mariam Palazzolo, Iustinum Mariam Russolillo, Carolum de Foucauld, Mariam Rivier, Mariam Franciscam a Iesu Rubatto, Mariam a Iesu Santocanale et Mariam Dominicam Mantovani Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clarus hic christifidelis laicus excellentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem, usque ad sanguinis effusionem, atque insignia dedit pietatis testimonia, Evangelii verba perscrutans et in cotidiana vita sequens.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, Laterani, die decimo quinto mensis Maii, anno Domini bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri decimo.

EGO FRANCISCUS  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Villelmus Millea, *Proton. Apost.*



Loco  $\text{⌘}$  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 594.583*

**LITTERAE APOSTOLICAE****I**

**Venerabili Dei Servi Carolo Acutis caelitum Beatorum tribuitur dignitas.**

**FRANCISCUS PP.**

Ad perpetuam rei memoriam. — «Quae nos venustos reddit coram Dei oculis haec sola erit causa ex qua eum ac fratres nostros amavimus».

Haec sententia Venerabilis Servi Dei Caroli Acutis vitae eiusque agendi modi coram cotidianis condicionibus propositum summatim reddit; persentebat enim Deum esse in sua exsistentia. Prope se ut amicum, confidentem, viventem Personam animadvertibat, cui ipse referatur singulis diei momentis. Experiebatur se solum non esse, sed circuitum amoris Trinitatis communicare, ex quo necessariam vim hauriebat ad fratres vicissim amandos quos suo in itinere inveniebat.

Londinii in Magna Britannia die III mensis Maii anno MCMXCI ex Italis parentibus natus est, scilicet Andrea et Antonia Salzano atque die XVIII mensis Mai Londinensi in templo “Our Lady of Dolours” est baptizatus. Eodem anno familia Mediolanum rediit, ubi litterarum ludum frequentavit Venerabilis Servus Dei apud Institutum Tommasseo Sororum Marcellinarum. Die XVI mensis Iunii anno MCMXCVIII primum de speciali licentia moderatoris spiritalis et Archiepiscopi Paschalis Macchi ad sacram Eucharistiam accessit. Recepit postea, die XXIV mensis Maii anno MMIII, in templo Sanctae Mariae Secretae Confirmationis sacramentum. XIV annos natus lyceo classico est adscriptus Instituti Leonis XIII Mediolani, quod moderabantur patres Iesuitae, ubi eius persona plane floruit, cum serenus laetusque familiares affectus experiretur, parentibus ac magistris oboediens, operam dans scholarum officiis et colens item studiose spiritalem vitam. A puero Dei vultum requirere eiusque voluntatem contendit. Fide et caritate repletus, ferventem eucharisticam pietatem coluit, cum cotidie Missam participaret et adorationi eucharisticae assidue interesset. Praeclara fuit eius sententia:

“Eucharistia mea est latissima via ad caelum”. Verus fuit apostolus Divini Sacramenti in locis in quibus vixit, adhibens pariter communicationis socialis instrumenta. Animo concepit et miraculorum eucharisticorum expositionem perfecit, catechismum in paroecia docuit et per se pauperum necessitatibus consuluit. Altera eius spiritualitatis columna Virgini Mariae fuit devotio, quam per cotidie dictum rosarium et iteratas consecrationes honorabat. Iuvenis fuit serenus ac laetus, comis atque bonitate erga omnes dives. Cum aliis fidei donum et in Dominum amorem communicare cupiebat. Hac de causa una cum discipulo artis informaticae curare coepit interretialem situm paroeciae Sanctae Mariae Secretae. Aestatem anni MMVI exegit, novum interretialem situm fingens pro voluntatiis Insituti Leonis XIII et scaenulas perfecit item pro voluntatiis complurium ordinum intra nationalem concursum. Perfecit immo interretialem situm Pontificiae Academiae Cultorum Martyrum. Ingenio praestabat in informatica arte et hanc facultatem ad proximum et evangelizationem iuvandam destinavit. Peculiarem in modum suos scholae socios, amicos et familiares iuvabat in iis quae ad informaticam artem attinebant et computatori usum. Maiorem feriarum partem Assissii in familia domo transegerat. In illa Umbriae urbe novisse didicit sanctum Franciscum Assisiensem et sanctum Antonium de Padua. Sic in eo creati observantia orta est et conscientia realis Praesentiae in Eucharistia. Hoc apostolicum studium in aequales suos transfudit, quibus viam demonstravit ad felicitatem adipiscendam, scilicet Christi occursum. Fuit in primis per recentiora digitalia instrumenta communicationis socialis Evangelii praecursor, ostendens sic haec valida subsidia esse posse ad latam hominum partem attingendam. Effecit ut ab iis non adduceretur qui in discrimen afferrent humanam dignitatem, interrete adhibentes. Hac de re in Adhortatione apostolica postsynodali “Christus vivit” Nos Ipsi iuvenibus Venerabilis Servi Dei Caroli Acutis exemplum demonstravimus, qui “probe noverat haec communicationis socialis, venditationis ac socialium retium mechanemata adhiberi posse ut subiecta somnolenta efficiamur, qui rebus consumendis rebusque novis, quas emere possumus, obnoxii sumus, otio involvimur, infitiatione claudimur. Ipse autem novis subsidiis communicationis socialis ad Evangelium diffundendum, ad bona ac pulchritudinem communicandam uti valuit”. Repente leucaemiae grave genus est nactus, quae paucis diebus ei mortem die XII mensis Octobris anno MMVI attulit.

Propter continuatam et increbrescentem sanctitatis famam, beatificationis Causa incohata est apud Curiam archiepiscopalem Mediolanensem, ubi inter diem XII mensis Octobris anno MMXII et diem XXIV mensis Novembris anno MMXVI Inquisitio dioecesana celebrata est. Eiusdem iuridica validitas agnita per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XXVI mensis Maii anno MMXVII, Positio est comparata, et Consultores Theologi, in peculiari Congressu die XVII mensis Aprilis anno MMXVIII congregati, de virtutibus heroum in modum exercitis favens suffragium tulerunt. Proinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die III mensis Iulii anno MMXVIII coadunati, idem edixerunt. Nos igitur Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum die V mensis Iulii anno MMXVIII ederet. Beatificationis causa sanatio exhibita est mira putata, quam Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum, die XIV mensis Novembris anno MMXIX coadunati, ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Consultores Theologi, in Congressu peculiari die XVII subsequentis mensis Decembris intercessioni Venerabilis Servi Dei eam tribuerunt atque Idem Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione ordinaria die IV mensis Februarii anno MMXX censuerunt. Nos Ipsi die XXI mensis Februarii anno MMXX facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum consentaneum Decretum evulgaret ac statuimus insuper ut beatificationis ritus Assisii, ubi Venerabilis Dei Servus est sepultus, in sanctuario Spoliationis, die X mensis Octobris anno MMXX celebraretur.

Hodie igitur ex mandato Nostro Augustinus S.R.E. Cardinalis Vallini, Vicarius Generalis emeritus pro Romana dioecesi, Assisiensi in urbe, Apostolicas Litteras legit quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabilem Servum Dei Carolum Acutis:

Nos, vota Fratris Nostri Dominici Sorrentino, Archiepiscopi-Episcopi Assisiensis-Nucerini-Tadinensis necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Carolus Acutis, laicus, qui iuvenili animi ardore cum Domino Iesu amicitiam coluit, Eucharistiam caritatisque testimonium, in medio vitae suae ponens, Beatorum nomine in posterum appelletur atque die decima secunda mensis Octobris, qua in caelum orta est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.



Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die x mensis Octobris, anno MMXX, Pontificatus Nostri octavo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco ☉ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 513.120*

## II

**Venerabili Servae Dei Mariae Berenicae Duque Hencker caelitum Beatorum tribuitur dignitas.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Diligere, pati atque silere» (*Ex scriptis*). Venerabilis Dei Servae Mariae Berenices Duque Hencker (in saeculo: Annae Iuliae) haec fuerunt verba, quae in discrimine Fundationis, maximo studio inceptae, scripsit; eius cunctum tamen iter spirituale expresse praesentant, alta in experientia fidei defixum ac filiali in devotione erga Virginem Mariam. Ab Ea humilitatem didicit, quam se confirmavit cotidiano esse victuram, Beatae Virgini suum dicavit Institutum: Sorores ab Annuntiatione. In essentialitate ipsa cotidianam suam vixit vitam, “vermiculum”, “purgamentum”, “aliquid nihilum” se habens.

Salaminae in Columbia die XIV mensis Augusti anno MDCCCXCVIII orta est, primogenita Antonii Iosephi Duque Botero et Annae Berenices Hencker Rister, qui suam amplificaverunt familiam usque ad duodeviginti liberos, ex quibus quinque Domino se dederunt. Baptismum recepit duobus post diebus et mense Novembri anno MCMVII Eucharistiam atque Confirmationem. Parentes primi eius in fidem institutores fuerunt, firmam illi per cotidianam sancti Rosarii precationem erga Virginem Mariam inculcantes pietatem. Harmonicum quoque fuit Annae Iuliae humanum incrementum atque multiplices eius virtutes prolatae in lucem. Adulescens, soror carmelitana fieri cupivit et in paroecia catechista evasit, Filiarum Mariae sodalis. Quindecim annos nata parentes eius in societatem ita eam duxerunt ut puella vitae religiosae proposita relinqueret. Illa tamen vocationali in itinere perstitit atque mense Decembri anno MCMXVII monasterium Praesentationis Bogotae est ingressa. Sequenti anno vestem induit religiosam, nomen sororis Berenices sumens. Die XXI mensis Novembris anno MCMXIX professionem emisit posteaque ut educatrix missa est apud collegia pagorum v.d. *San Gil, Ubaté, Manizales Fredonia et Rionegro*. Suis cum alumnis orationem et amorem erga Mariam excoluit. Anno MCMXXX Metellinum translata est, uti adiutrix in iuvenum religiosarum institutione. Inter annum MCMXXXVIII et annum MCMXLII suum auxit apostolatam per ministerium ad pauperiores inter pauperes,

se apud textiles officinas conferens, ut de Deo et de Maria cum operariis loqueretur amoremque misericordem Dei communicans in infami quodam vico urbis Guayaquilii. Eius apostolica navitas fuit interminata: Marianos apparavit congressus, Virgini Sanctissimae complures sacravit iuvenes in collegiis et in coetibus paroecialibus, perduxit recessus ad meditandum atque occursus in valetudinariis, socialibus favit operibus, Actionis Catholicae coetus pro diversis christifidelium generibus instituit. Singulari navitate Serva Dei operam quoque dedit ad iuvandam iuvenum institutionem, quae Domino vellent religiosa vita se consecrare. Ob discrimina, illius temporis ad Instituta religiosa pertinentia, excipiendi iuvenes mulieres pauperes vel nigras vel filias parentum matrimonio haud coniunctorum, de Archiepiscopi consilio novam fundare exoptavit Congregationem. Idcirco die XIV mensis Maii anno MCMXLIII Congregationem Parvarum Sororum ab Annuntiatione instituit, nullis finibus ex origine vel cultura illis iuvenibus positis, quae admitti postulabant. Venerabilis Serva Dei primas comitata est candidatas, eas sustinens ut amore in Dominum et Virginem coalescerent, quia putabat Dominum adhuc eligere pauperes, qui in mundi honore infimi sunt. Cito tamen nova obstiterunt impedimenta: etenim iuvenes ad aliam Congregationem destinatae sunt et soror Berenice missa est in Galliam, unde, cum aegrotavisset, in patriam rediit. Bogotae Actionis Catholicae operam apostolatus perrexit et, quamvis quaedam incommoda essent, rursus ad operam Annuntiationis se contulit, quae se reficere et crescere incepit. Serva Dei Constitutiones conscripsit una cum auxilio Excellentissimi Domini Ioachimi García Benítez, Archiepiscopi Medellensis. Die III mensis Octobris anno MCML Congregatio canonice est approbata. Cum Concilium celebraretur, intensius oravit et renovationi per documenta communiter investigata favit. Ab anno MCMLIII ad annum MCMLXVII munere Superiorissae Generalis functa est. Sollicita semper fuit proxima sororibus sodalibus suis, in iustis consiliis capiendis, curam singularem infirmis suppeditando, ad plenam sororum institutionem se conferens, omnia instrumenta adhibendo ad virtutes colendas et ad candidatarum formationem singulari peritia curandam. Non pepercit operae ut sorores studere possent in optimis universitatibus tam domesticis quam externis. Quasdam insuper operas instituit ex quibus Congregationem Missionariarum Franciscalium ab Annuntiatione, quam die XV mensis Augusti anno MCMLVII fundavit, cum hoc ab ea postulavissent quaedam iuvenes nigrae, quae originem ex litoribus Columbianis ducebant. Die VIII mensis

Decembris anno MCMLXV Institutum quoque Fratrum Domus Dei fundavit, pro coetu iuvenum, qui ab ea auxilium petiverant ut certis necessitatibus plurimorum illius temporis societate exclusorum subvenirent. Zelus missionarius Evangelii pervulgandi eam impulit ut Congregatio trans maria propagaretur: ea enim voluit ut sorores Iesu nuntium usque ad orbis fines conferrent. Domus aperuit in Hispania, Aequatoria et Peruvia. Cum morbi crux rursus rediisset, illa se abicere nisa est, Christo cohaerens mortemque fortiore ac ampliore amore excipiens. Obitus eius die XXV mensis Iulii anno MCMXCIII Metellini evenit. Exequiis eius magna christifidelium laicorum et religiosorum multitudo undecumque proveniens affuit.

Fama sanctitatis augescente, a die XXIII mensis Maii anno MMII ad diem XXIII mensis Octobris anno MMIII apud Curiam ecclesiasticam Medellensem Inquisitio Dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hoc Dicasterio de Causis Sanctorum per decretum diei XXVI mensis Augusti anno MMV est approbata. Parata Positione, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu die XIX mensis Decembris anno MMXVIII Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus celebratus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die XV mensis Ianuarii anno MMXIX congregati, Servam Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinalesisque adnexas exercuisse professi sunt. Nos Ipsi concessimus ut Congregatio de Causis Sanctorum pertinens Decretum die XII mensis Februarii anno MMXIX promulgaret. Beatificationis causa, postea, mira quaedam asserta sanatio exhibita est, quam Medicorum Consilium eiusdem Congregationis de Causis Sanctorum diei XXVI mensis Novembris anno MMXX ex scientiae legibus inexplicabilem declaravit. Consultores Theologi, Peculiari in Congressu diei XI mensis Martii anno MMXXI, eam Venerabilis Servae Dei intercessionem tribuerunt. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei XX mensis Septembris anno MMXXI eandem verum iudicaverunt esse miraculum. Nosmet Ipsi, igitur, concessimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo promulgaret itemque statuimus ut eius Beatificationis ritus Metellini in Columbia die XXIX mensis Octobris anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur Metellini de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Marcellus S.R.E. Cardinalis Semeraro, Praefectus Dicasterii de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Berenicem Duque Hencker (in saeculo: Annam Iuliam) in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Richardi Antonii Tobón Restrepo, Archiepiscopi Metropolitanae Medellensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Dicasterii de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Berenice Duque Hencker (in saeculo: Anna Iulia), Fundatrix Congregationum Parvarum Sororum ab Annuntiatione, Sororum Missionariarum Franciscalium a Iesu et Maria necnon Fratrum Missionariorum ab Annuntiatione, quae, omnino fiduciae plena divina in Providentia Evangelii Iesu testis cohaerens, infirmorum et exclusorum curae formationique sese dedit, Beatae nomine in posterum appelletur atque die vicesima quarta mensis Iulii, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clara haec religiosa diligentem ostendit spiritalem progressum atque insignia dedit pietatis testimonia. Dum illius conspicimus vitam, quae Redemptorem hominum etiam variis in difficultatibus fideliter est secuta praeceptum caritatis assidue servans, ad altiorem usque in cotidiana vita imitationem Salvatoris incitatur adque iter ad sanctitatem cotidiana in vita sedule, prompte et vigilanter prosequendum Domini vocem humiliter auscultantes.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Octobris, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 591.446*

## III

**Venerabili Servae Dei Mariae Carolae Cecchin, religiosae professae, Beatorum honores decernuntur.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Amen, amen dico vobis: (...) si granum frumenti (...) mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdit eam; et, qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam» (cfr *Io* 12, 24-25).

Haec Iesu verba in Evangelio Ioannis relata vitae ratio fuerunt Venerabilis Servae Dei Mariae Carolae Cecchin (in saeculo: Florinae). Ab adolescentia desiderio se Deo offerendi flagrabat atque in terra missionis “magna caritatis apostola”, “flosculus”, “communione pacisque mulier” est appellata.

Ipsa nata est die III mensis Aprilis anno MDCCCLXXVII in oppido Cittadella (Patavii), ex decem liberis Francisci et Antoniae Geremia septima. Die postero in ecclesia Cathedrali Sanctorum Prosdocimi et Donati est baptizata. Die XVII mensis Augusti anno MDCCCLXXXIV in pago Fontaniva dioecesis Vicentinae ab Episcopo Clodiensi sacramentum confirmationis recepit. De eius pueritia haud multum cognoscitur. Verbis autem parca, simplex firmaque, solitudinem ac orationem diligebat. Ut exemplum mansuetudinis, industriae, ingenii acuminis, magnanimitatis ac erga familiam caritatis eam parentes indicabant. Puella duodeviginti annorum, post Exercitia Spiritualia Christo eam vocanti annuit ad vitam religiosam amplectendam parata. A s. Dorothea Sororum Magistrarum Vicetiae Matrem Generalem adiit, sed in memoratam congregationem non est accepta. Propter quod etiamsi maesta, Deo certe confidens animus non deposuit. Oppidi Cittadella Curio, spiritalis eius moderator, in Superiorissam Congregationis S. Iosephi Cottolengo Sororum loci Bigolino nuncupati (Tarvisii) se convertit, quae statim puellam accepit atque nonnullos post menses probationis die XXVII mensis Augusti anno MDCCCXCVI eandem duxit Augustam Taurinorum, ubi formationis iter Venerabilis Servae Dei inchoavit. Divinae Providentiae “Cottolengo” Parvae Domi, humanitatis, caritatis et fidei erga infimos ac indigentes proverbiali loco, percepit intime sensum versiculi “Caritas Christi urget nos” (2 *Cor* 5, 14), quod effatum spiritualitatis fundatoris s. Iosephi Benedicti Cottolengo

est principium. Hoc Venerabilis Servae Dei vitam mutavit. Humillima mulier, sed “sapiens ac prudens in terra missionis”, sicut Nos Ipsi in Litteris Apostolicis die VII mensis Octobris anno MMXXII eam declaravimus, “pauperum soror ac mater”, totam se dedit Deo, infimis, neglectis, egentissimis curae et materni amoris, maxime vero Iesu hominum unici Salvatoris. Hoc non solum paucis in Italia transactis annis fecit, sed praecipue viginti annis transactis in Kenia. Hic cum primis missionaris Instituti Missionum a Consolata sodalibus est cooperata. Cum Nationis cultum humanum intellegere conaretur, inter tribus Kikuyu et Ameru nuncupatas Evangelii assumptionis initium fecit. Urgebat eam Iesus cognoscendus per maternum amorem magis operibus quam verbis explanatum. Nam sorores, patres, fratres coadiutores pluresque catechistas affabili diligentia tractabat. Indelebilem recordationem omnibus reliquit amoris Domini, qui, Venerabilis Servae Dei corde manibusque usus, eandem in donum fratribus salutiferum donavit. Tum in laetis quam in tristibus rebus repetebat aut cantillabat ut diploma suum haec verba: “*Na bôna mort a pagrà tut*” (“remuneratio pro omnibus rebus erit generosa mors”), significans suam agendi metam esse Paradisum. Hoc modo primis xx saeculi annis evangelizationi ac Regni Dei in Africa dilatationi profuit. Omnium mater et soror fuit, impigraque catechista viccos peragrans. Superiorissa nominata, varias communitates moderata est, quarum ultimam in loco Tigania ubi graviter aegrotavit. Annorum decursu cum Instituti Missionum a Consolata sodalibus sororum cooperatio earundem vitae condiciones gravavit. Cum Divinae Providentiae Parvae Domus variis experimentis nodum exsolvere frustra conati essent Piores, Summus Pontifex Benedictus XV ut Congregationis s. Iosephi Cottolengo Sorores e Kenya redirent aperte imperavit. E XLIV sororibus Serva Dei graviter aegrotans iter in Italiam suscepit postrema, quae vero XLVIII annos nata die XIII mensis Novembris anno MCMXXV in nave spiravit. Secundum salubritatis normas Maris Rubri aquis eiusdem corpus est datum.

Ob eius sanctitatis famam in Kenia diffusam Salesius Mugambi Episcopus Meruensis Congregationem de Causis Sanctorum interrogavit, quae eidem ad Causam incipiendam facultatem dedit, quamvis Soror Maria Carola per reditum ad Italiam in nave mortua ac sepulta esset in Maris Rubri aquis, ad XXII-XXV-XXX latitudinis gradus adque XXXVII-XXXIV-XXX longitudinis gradus. Cum Augustae Taurinorum de Serva Dei documenta maxime serventur, rescripto die XXV mensis Septembris anno MMXIII Caesari Nosiglia,

Archiepiscopo Taurinensi, suam de Causa Beatificationis facultatem memoratus Episcopus concessit.

Augustae Taurinorum a die XXIV mensis Aprilis anno MMXIV ad diem VII mensis Octobris eodem anno peracta est inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum agnita est die XXIX mensis Maii anno MMXV. Positione parata et omnibus servatis iure statutis, disceptatum est an Venerabilis Serva Dei heroum in modum virtutes exercisset. In Congressu peculiari die IV mensis Februarii anno MMXX Consultores Theologi favens dederunt suffragium. Itemque iudicaverunt die X mensis Novembris anno MMXX in Sessione Ordinaria per conferentiam televisificam Patres Cardinales et Episcopi. Demum Nos Ipsi die XXIII mensis Novembris eodem anno facultatem dedimus ut congruum Decretum de Venerabilis Serva Dei heroicis virtutibus promulgaretur. Prae-bit a est asserta mira sanatio, quae die XVIII mensis Februarii anno MMXXI a memoratae Congregationis Consultoribus medicis inexplicabilis ex scientia habita est. In Congressu peculiari die XV mensis Iunii anno MMXXI Consultores Theologi eam Venerabilis Servi Dei intercessionem tribuerunt. Die XXX mensis Novembris eodem anno in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi verum mirum eandem fuisse iudicarunt. Quapropter Nos Ipsi die XIII mensis Decembris anno MMXXI facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miro promulgaret. Statuimus etiam ut sollemnis ritus beatificationis in urbe Meru in Kenia die V mensis Novembris anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur in urbe Meru in Kenia de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Antonius S.R.E. Cardinalis Kambanda, Archiepiscopus Kigaliensis, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Carolam Cecchin, religiosam professam, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Roberti Repole, Archiepiscopi Metropolitae Taurinensis et Episcopi Segusiensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Dicasterii de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Carola Cecchin (in saeculo: Florina) Congregationis Sororum a Sancto Iosepho Benedicto Cottolengo religiosa professa, mulier sapiens ac prudens, Evangelii testis et divinae caritatis in terra missionis, Beatae nomine in posterum appelletur atque die decima tertia



---

mensis Novembris, qua in caelum orta est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 591.445*

## IV

**Venerabili Servo Dei Iosepho Ambrosoli, presbytero, Beatorum honores decernuntur.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — « Utinam in me Christum videant. Agitur minime vero de novis rebus faciendis, sed de aegrotos tractandi modo. Fraternaliter ex Christi caritate habitum valetudine affectos percipere opus est » (Ex scriptis Iosephi Ambrosoli).

Desiderium persuasioni coniunctum quod “Deus caritas est eiusque servus sum pro aegrotantium bono” vitam duxit Venerabilis Servi Dei Iosephi Ambrosoli, presbyteri Missionariorumque Combonianorum Cordis Iesu sodalis necnon medici, qui, cum corpora curaret, spiritali unctione animas signavit.

Ipse natus est die xxv mensis Iulii anno mcmxxiii in pago Ronago (Comi) atque baptizatus est die xxix mensis Iulii eodem anno. Cum eius familia ex media classe civium ergolabica esset, indesinenter iustitiae responsabilitatisque socialis principia secutus est.

Venerabilis Servus Dei lauream adeptus est in medicina et chirurgia anno mcmxxlix atque insequenti anno Londinii apud “Tropical Institute” diploma medicinae tropicae ac valetudinis tuendae artis est assecutus.

Missionalem vocationem intuens, iuvenis xxviii annorum Congregationis Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu in pago Gozzano (Novariae) novitiatum ingressus est atque medici ac sacerdotis munera volens explere, curriculis theologicis perfectis, in Africam est missus. Die ix mensis Septembris anno mcmxlv vota perpetua nuncupavit atque die xvii mensis Decembris eodem anno in ecclesia cathedrali archidioecesis Mediolanensis a Cardinale archiepiscopo Ioanne Baptista Montini presbyter est ordinatus.

Duos post menses missus est in Ugandam, in oppidum Kalongo nuncupatum, ubi in missionali navitate xxxi annos traduxit, attendens “aegrotis servire sicut Christo”, ibidemque Scholam pro obstetricibus ac Valetudinarium instituit. Ob beneficia ac sedes curationis leprosum, denutritorum phthisicorumque in oppidum Kalongo convenerunt aegrotantes ex multis Ugandae locis necnon ex Kenia, Phylarchiis Arabicis etiamque ex India.

Omnes pro certo habebant in Valetudinario viros et feminas insigni humanitate christianoque spirito animatos operari, sed maxime magnificabant preces Venerabilis Servi Dei nocte ac vesperi orantis. Ipse dicere solebat: “Duobus pulmonibus oportet respirare, id est familiaritate cum Domino per Eucharistiam atque erga aegrotos famulatu”.

Anno MCMLXXXII valetudinem Venerabilis Servi Dei renum morbus graviter infirmavit. Tamen, etiamsi bellum civile iam gestum est, indigentes recipere, defendere ac adiuvare perrexit. Mense Februario anni MCMLXXXVII oportuit missionem et Valetudinarium in oppido Kalongo omnes relinquere. Nihilominus Venerabilis Servus Dei usque ad extremum alumnas Scholae pro obstetricibus incolumes servare voluit. Tandem eius valetudo concidit et die XXVII mensis Martii anno MCMLXXXVII Ipse spiravit susurrans: “Domine, fiat voluntas tua etiam si fuisset centum vices”.

Venerabilis Servi Dei aedificans exemplum fidelibus reliquit indelebilem memoriam, quae cito sanctitatis fama est facta. Quae extra paroeciae in oppido Kalongo fines diffusa sollicitavit ad inchoandam apud curiam ecclesiasticam archidioecesis Guluensis, in Uganda, beatificationis Causam, a die XXII mensis Augusti anno MCMXCIX ad diem IV mensis Februarii anno MMI ductam. Fere eodem tempore Inquisitio Rogatorialis Comi a die VII mensis Novembris anno MCMXCIX ad diem XXX mensis Iunii anno MMI peracta est. Inquisitionis dioecesanae vero iuridicam validitatem Congregatio de Causis Sanctorum agnovit per decretum die VII mensis Maii anno MMIV. Parata Positione, disceptatum est, sueto more, an Venerabilis Servus Dei heroum in modum virtutes exercuisset. In Congressu peculiari die IV mensis Decembris anno MMXIV Consultores Theologi favens dederunt suffragium. Itemque iudicaverunt die XV mensis Decembris anno MMXV in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi. Demum Nos Ipsi die XVII mensis Decembris eodem anno facultatem dedimus ut congruum Decretum de Venerabilis Servi Dei heroicis virtutibus promulgaretur. Omnibus servatis iure statutis, Congregationi de Causis Sanctorum praebita est asserta mira sanatio, quae die XXIX mensis Novembris anno MMXVIII ab eiusdem Congregationis Consultoribus medicis inexplicabilis habita est. In Congressu peculiari die XIII mensis Iunii anno MMXIX Consultores Theologi eam Venerabilis Servi Dei intercessionem tribuerunt. Die XIX mensis Novembris eodem anno in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi verum mirum eandem fuisse iudicarunt. Quapropter Nos Ipsi die XXVIII mensis Novembris anno MMXIX facultatem fecimus

ut memorata Congregatio Decretum de miro promulgaret. Statuimus etiam ut sollemnis ritus beatificationis in oppido Kalongo, in Uganda, die xx mensis Novembris anno MMXXII celebraretur.

Hodie igitur in oppido Kalongo, in Uganda, de mandato Nostro Venerabilis Frater Aloisius Bianco, Archiepiscopus titulo Faleronensis, Nuntius Apostolicus in Uganda, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Iosephum Ambrosoli, presbyterum, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Ioannis Baptistae Odama, Archiepiscopi Metropolitae Guluensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Dicasterii de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Iosephus Ambrosoli, Congregationis Missionariorum Combianorum Cordis Iesu presbyter professus, medicus et sacerdos, qui sicut bonus Samaritanus indefesse proximum sese egenis fecit ad eorum corporis et animae vulnera curanda, Beati nomine in posterum appelletur atque die duodetricesima mensis Iulii, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, Laterani, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Novembris, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco  Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 589.516*

## EPISTULA

**Ad Membra Familiae Franciscanae occasione VIII Centenariae anniversariae memoriae ab approbatione *Regolae bullatae* (1223-2023).**

*Ai Membri  
della famiglia francescana*

*Cari Fratelli e Sorelle,*

è con letizia nel cuore che desidero farVi giungere il mio pensiero augurale in una circostanza così importante per l'intera Famiglia Francescana, di cui sin dall'inizio del Ministero Petrino sento viva la presenza orante e la vicinanza filiale. L'VIII centenario della conferma della Regola dei frati minori da parte di Papa Onorio III presso il Laterano, avvenuta il 29 novembre 1223, è un'occasione propizia non soltanto per ricordare un evento storico, ma soprattutto per ravvivare in Voi il medesimo spirito che ispirò Francesco d'Assisi a spogliarsi di tutto, e dare origine ad una forma di vita unica ed affascinante poiché radicata nel Vangelo e vissuta *sine glossa*. Questo giubileo possa essere per ciascuno il tempo di una rinascita interiore, di un rinnovato mandato missionario della Chiesa che chiama ad uscire incontro al mondo là dove molti fratelli e sorelle attendono di essere consolati, amati e curati.

Pertanto, mosso da tali sentimenti, sono a consegnarVi delle esortazioni che nascono proprio dalle parole del Poverello d'Assisi, il quale propone ai suoi frati di: «[...] osservare la povertà e l'umiltà e il santo Vangelo del Signore Nostro Gesù Cristo [...]» (*Regola bollata* 12,4).

*Osservare il santo Vangelo*

La *Regola bollata* difatti comincia e termina con il riferimento esplicito al Vangelo. Le espressioni di apertura sono una sintesi illuminante dell'intera Regola: «La Regola e vita dei frati minori è questa, cioè osservare il santo Vangelo del Signore nostro Gesù Cristo, vivendo in obbedienza, senza nulla di proprio e in castità» (*Regola bollata* 1, 1).

Per San Francesco il Vangelo è stato al centro della sua esistenza; e la Chiesa ne ha approvato il proposito, riconsegnandolo a lui e a tutti Voi francescani come un testo che non esprime più soltanto l'intuizione

spirituale di un Fondatore, ma una forma di vita. È un messaggio di gioia che sovente ho voluto indicare perché “riempie il cuore e la vita intera di coloro che si incontrano con Gesù” (*Evangelii gaudium*, n.1).

È urgente pertanto tornare al fondamento di un impegno cristiano e battesimale, capace di lasciarsi ispirare, in ogni scelta, dalla Parola del Signore: Cristo è il punto focale della vostra spiritualità! Siate uomini e donne che alla Sua scuola apprendano davvero “regola e vita”!

### *Obbedienza alla Chiesa*

Carissimi, per vivere gli insegnamenti del Maestro è necessario rimanere nella Chiesa. Francesco lo manifesta in maniera decisa perché alla frase introduttiva che descrive la volontà di seguire i consigli evangelici aggiunge subito parole suggestive e singolari nel contenuto e nel linguaggio: «Frate Francesco promette obbedienza e riverenza al signor papa Onorio e ai suoi successori canonicamente eletti e alla Chiesa romana. E gli altri frati siano tenuti a obbedire a frate Francesco e ai suoi successori» (*Regola bollata* 1, 2-3).

In quel legame di “obbedienza e riverenza” al Papa e alla Chiesa di Roma, egli ha riconosciuto un elemento essenziale per la fedeltà alla chiamata e per ricevere Cristo nell’Eucarestia; ecco perché dichiara senza esitare l’appartenenza imprescindibile alla Chiesa. Ebbene, vivete lo spirito della Regola nell’ascolto e nel dialogo, come il cammino sinodale suggerisce di compiere. Sostenete tenacemente la Chiesa, riparatela con l’esempio e la testimonianza, anche quando sembra costare di più!

### *Andare per il mondo*

Infine, voglio riprendere l’intuizione contenuta sempre nella *Regola bollata* ad andare per il mondo. Intervenendo in prima persona, così il Padre Serafico si pronuncia: «Consiglio, poi, ammonisco ed esorto i miei fratelli nel Signore Gesù Cristo che, *quando vanno per il mondo*, non litighino ed evitino le dispute di parole e non giudichino gli altri; ma siano miti, pacifici e modesti, mansueti e umili, parlando onestamente con tutti, così come conviene. [...] In qualunque casa entreranno, dicano prima di tutto: Pace a questa casa [...]» (*Regola bollata* 3, 10-13).

Andare per il mondo per Voi frati e sorelle francescani significa concretamente realizzare la vocazione itinerante in uno stile di fraternità e di vita pacifica, senza liti o dispute né tra Voi né con gli altri, dando prova di

“minorità”, con mitezza e mansuetudine, annunciando la pace del Signore e affidandoVi alla provvidenza: è uno speciale programma di evangelizzazione, possibile a tutti.

In questa prospettiva, è bene riscoprire la bellezza dell’evangelizzazione tipicamente francescana, che nasce da una fraternità per promuovere la fraternità; infatti è la vita a parlare, l’amore donato nel servizio è la più grande modalità di annuncio. Ritrovate perciò la forza in tale peculiare vocazione, propria dei “minori” e dei “poveri”, quali siete per desiderio e per appartenenza. Essa Vi è data da Francesco nella sua Regola e sono convinto che è in sintonia con l’invito che rivolgo alla Comunità cristiana di essere “Chiesa in uscita”: «Fedele al modello del Maestro, è vitale che oggi la Chiesa esca ad annunciare il Vangelo a tutti, in tutti i luoghi, in tutte le occasioni, senza indugio, senza repulsioni e senza paura. La gioia del Vangelo è per tutto il popolo, non può escludere nessuno» (*Evangelii gaudium*, n. 23).

E dunque Vi dico: non esitate ad andare per il mondo in “fraternità” e in “minorità” condividendo la beatitudine della povertà, divenendo un segno evangelico eloquente e mostrando alla nostra epoca, segnata purtroppo da guerre e conflitti, da egoismi di ogni genere e logiche di sfruttamento dell’ambiente e dei poveri, che il Vangelo è davvero la buona notizia per l’uomo affinché ritrovi la direzione migliore per la costruzione di una nuova umanità insieme al coraggio di mettersi in cammino verso Gesù, che “da ricco che era, si è fatto povero per noi, perché noi diventassimo ricchi per mezzo della sua povertà” (cfr *2 Cor* 8, 9).

Cari Fratelli e Sorelle, affido a Voi la missione di saper individuare le strade giuste da percorrere per poter corrispondere con audacia e fedeltà al carisma ricevuto. Mentre Vi accingete a rievocare le tappe fondamentali della storia di codesta numerosa Famiglia Francescana, invoco l’intercessione della Vergine Maria e dei Santi Francesco e Chiara d’Assisi e volentieri invio la mia Benedizione, chiedendo, per favore, di continuare a pregare per me.

*Roma, da San Giovanni in Laterano, 9 novembre 2023*

*Anniversario della Dedicazione della Basilica Lateranense Cattedrale di Roma*

FRANCESCO

## HOMILIA

### In VII Diem Mundialem Pauperum.\*

Tre uomini si ritrovano nelle mani un'enorme ricchezza, grazie alla generosità del loro signore che è in partenza per un lungo viaggio. Quel padrone, però, un giorno ritornerà e chiamerà nuovamente quei servi, nella speranza di poter gioire con loro per come nel frattempo hanno fatto fruttare i suoi beni. La parabola che abbiamo ascoltato<sup>1</sup> ci invita allora a soffermarci su due percorsi: *il viaggio di Gesù* e *il viaggio della nostra vita*.

*Il viaggio di Gesù.* All'inizio della parabola, Egli parla di «un uomo che, partendo per un viaggio, chiamò i suoi servi e consegnò loro i suoi beni».<sup>2</sup> Questo “viaggio” fa pensare al mistero stesso di Cristo, Dio fatto uomo, alla sua risurrezione e ascensione al Cielo. Egli, infatti, che è disceso dal seno del Padre per venire incontro all'umanità, morendo ha distrutto la morte e, risorgendo, è ritornato al Padre. Concludendo la sua vicenda terrena, Gesù compie perciò il suo “viaggio di ritorno” presso il Padre. Ma, prima di partire, ci ha consegnato i suoi beni, un vero e proprio “capitale”: ci ha lasciato sé stesso nell'Eucaristia, la sua Parola di vita, la sua santa Madre come nostra Madre, e ha distribuito i doni dello Spirito Santo perché noi possiamo continuare la sua opera nel mondo. Questi “talenti” sono elargiti – specifica il Vangelo – «secondo le capacità di ciascuno»<sup>3</sup> e quindi per una missione personale che il Signore ci affida nella vita quotidiana, nella società e nella Chiesa. Lo afferma anche l'apostolo Paolo: a ciascuno di noi «è stata data la grazia secondo la misura del dono di Cristo. Per questo è detto: Asceso in alto, ha portato con sé prigionieri, ha distribuito doni agli uomini».<sup>4</sup>

Fissiamo ancora lo sguardo su Gesù, che tutto ha ricevuto dalle mani del Padre, ma non ha tenuto questa ricchezza per sé, «non ritenne un privilegio l'essere come Dio, ma svuotò sé stesso assumendo una condizio-

\* Die 19 Novembris 2023.

<sup>1</sup> Cfr *Mt* 25, 14-30.

<sup>2</sup> v. 14.

<sup>3</sup> v. 15.

<sup>4</sup> *Ef* 4, 7-8.



